The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus
Caput 9: De correctione fraterna (14)

Gregorius super illud Canticorum:

Mel et lac sub lingua eius ait:
In lingua iusti est asperitas dum perversum increpat,
sed intus dulcedinem regit,
quam non vult ostendere nec aperire infirmis,
sed inter dura emittit etiam blanda,
quibus auditores foveat.

Qui enim mentis suae dulcedinem aperire infirmis nolunt,
sed loquentes quadam eos asperitate feriunt,
et tamen inter uerba aspera quasi latenter quiddam dulcedinis intermittunt,
hi uidelicet non in lingua sed sub lingua habent dulcedinem;
quia inter dura quae proferunt emittunt quaedam blanda et dulcia,
quibus contristati mens possit ex benignitate refoueri.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 15.11 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.756, ll.14-20).